



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Qvaestio XII. De Intentione. In Quinque Articulos diuisa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



Media per se non sunt obiectum delectationis.

quæ est in medijs vt media sunt, nihil est aliud quam utilitas eorum ad finem, seu efficacia quam habent ad finem comparandum: sed hæc efficacia non est amabilis nisi ob finem: ergo nec delectabilis nisi ratione finis. Patet exemplis. Medicina enim non delectat, neque gaudio afficit, nisi ratione sanitatis, quæ in illa apprehenditur: pecunia non delectat, nisi quatenus in ea, tamquam in virtute causæ apprehendimus nos habere huius vitæ commoda.

Apostolus ad Philamonem.

Dico Secundò, Si frui accipiatur, vt idem sit, quod quiescere in aliquo bono propter se adamoto (quod est propriè frui, vt accipit Aug. lib. 10. de Trinit. c. 10.) sic non dicimur vilo modo frui medijs, vt media sunt; quia non quiescimus in illis, sed vltè ius tendimus vt ibi quiescamus. Nec obstat illud Apostoli ad Philamonem, Ita, frater, ego te fruam in Domino, sensus enim est, fac vt fruatur tuo beneficio in Onesimo, quod beneficium erat ignoscere Onesimo, & illud benè tractare. Hoc

enim Apostolus censebat sibi ipsi fieri. Itaque hic locus ad præsens negotium nihil facit.

ARTICVLVS IV.

Vtrum fruitio sit solum finis habitus?

Prima Conclusio. Fruitio perfecta non est nisi finis iam perfectè obtenti. Probat, quia fruitio perfecta est quies animi perfecta in bono: atqui animus non quiescit, nisi sine perfectè obtento: ergo, &c.

Secunda Conclusio. Fruitio imperfecta est sine imperfectè obtento, scilicet obtento in spe. Probat, quia qui habet spem obtinendi, iam aliquo modo censetur habere finem, habet enim eum in medijs, per quæ sperat, tamquam in causis: vnde Apostolus ad Rom. 12. Spe gaudentes.

Q V Æ S T I O XII.

De Intentione.

ARTICVLVS I.

Vtrum Intentio sit actus voluntatis?

Intentio, vnde dicitur.

Conclusio. Intentio est actus voluntatis. Probat D. Thom. ab etymo nominis. Intentio enim dicitur ab eo, quod est tendere ad aliquem terminum seu finem; atqui tendere in finem pertinet primò ad voluntatem; nam voluntas ceteras etiam animæ vires in finem dirigit: ergo intentio est actus voluntatis. Idem probari potest ex nominis vsu. Intendere enim lucrum, sanitatem, honores, iuxta communem vsum loquendi, nihil est aliud quam velle hæc per aliqua media consequi: atqui velle consequi, est actus voluntatis: ergo.

Intentio quid.

Hinc patet, Intentionem ex parte rei nihil esse aliud, quam desiderium efficax, id est, quo quis ita desiderat aliquid consequi, vt ex vi huius desiderij moueatur ad executionem.

Dices, Intentio est tendentia voluntatis in finem per certa media: atqui desiderij non includit certa media; ergo distinguitur à desiderio.

Resp. Nò est de ratione Intentionis vt expressè contineat volitionem certorum mediorum; sed sufficit vt implicite contineat volitionem mediorum in genere. Confirm. Quia intentio est causa electionis mediorum; sicut assensus principiorum est causa assensus conclusionis: ergo est prior volitione mediorum, ac proinde non magis includit volitionem mediorum, quam desiderium efficax.

Intendere finem & efficaciter eum velle &c. eadem sunt.

Hinc sequitur, eadem esse, intendere finem, efficaciter velle, aut amare, aut desiderare finem, Efficaciter, inquam, id est, eo modo, vt ex vi illius volitionis vel desiderij, mouearis ad executionem: vnde Græci non habent proprium nomen, quo expriment actum intentionis; sed vocant eam βούλησιν, id est, Volitionem, & πρόθεσιν, propositum, id est, appetitum rationalem, & πρόθεσιν, propositum.

Vide Aristotelem 3. Ethic. c. 2. & Damascenum lib. 2. de Fide, cap. 22.

Notandum in Respons. ad quartum, finem, id est, bonum quoduis per se amabile, posse tripliciter spectari. Primò, Vt est præsens; sic versatur circa illud fruitio. Secundò, Vt est absens, per aliqua tamen media comparandum; sic versatur circa illud intentio. Tertio, Secundum se nudè; sic versatur circa illud amor, vt est primus affectus, seu prima boni complacentia, quæ etiam voluntas dicitur. Itaque tres actus versantur circa finem tamquam obiectum. Medium verò per se non potest nisi vno modo spectari, scilicet vt est vtile ad finem obtinendum. Esse autem absens vel præsens, est illi commune cum fine.

Bonum amabile tripliciter spectari potest.

ARTICVLVS II.

Vtrum Intentio tantum sit vltimi finis?

Conclusio est, Intentionem circa quemuis finem versari posse, non tantum circa vltimum. Ratio est, quia quoduis bonum per se amabile, potest esse terminus motus voluntatis; ac proinde si per media potest comparari, potest intendi.

DVBIVM.

Vtrum Media quatenus habent rationem boni vtilis, possint intendi?

Respondeo, Propriè loquendo, non posse sic intendi. Ratio est; quia motus voluntatis non sinit in medijs, neque in eorum intrinseca bonitate seu utilitate: sed vltè tendit in finem, & in eo sinit: atqui illud duntaxat intenditur in quo motus voluntatis sinit, vt in termino. Quare in omni volitione, vbi vnum medium appetitur, propter aliud medium, v. g. cum vis adire medicum, propter pharmacum; pharmacum sumere, ob euacuationem; euacuationem facere ob sanita-

Media propriè non intenduntur.



ob sanitatem; sanitatem, propter seipsam; non tam medium, quam finis intenditur, ob quæ omnia illa media inter se ordinata appetuntur.

Aduerte tamen, nomen intentionis intermedium latius sumi, vt se ad media extendat; vt D. Tho. insinuat hoc artic. in corp. & art. sequenti.

ARTICVLVS III.

Vtrum aliquis possit simul duo intendere?

4 Plura sub-ordinata possunt intendi.

Conclusio Prima, Possè plura diuersa simul intendi, si ea inter se sint subordinata. Simul, id est, eodem actu & motu voluntatis; vt pharmacum & sanitatem, obseruationem mandatorum & salutem. Ratio est; quia hoc ipso quo quis vult medium propter finem, vult etiam ipsum finem tamquam rationem volendi, vt supra q. 8. art. 1. ostensum.

Etiã non sub ordinata.

Conclusio Secunda, Possè etiam plura non subordinata simul intendi. Ratio est; quia vna res potest esse utilis ad diuersos fines non subordinatos. Sic qui ducit uxorem, potest simul intendere diuitias, oblectationem, commoda domestica & prolem.

Quid velit D. Thomas, dum ait plura non subordinata possè simul intendi.

Notandum Primò, Quando D. Tho. dicit plura non subordinata possè simul intendi, vult ea considerari non per modum plurium, sic vt singula habeant rationem integri finis ( vt videtur illum intelligere Caietanus: ) sed quatenus sunt vel partes vnius integri boni ( sicut qui intendit construere domum vel urbem, intendit omnia ad hæc necessaria, sed per modum vnius: ) vel certè quatenus illa plura conueniunt in aliqua comuni ratione commodi vel honesti, vel etiam conuenientis: vt si intendas simul voluptatem & sanitatem sub ratione commodi, vel exercere officia omnium virtutum sub ratione honesti. Nam D. Tho. solum loquitur de ijs, quæ per vnum actum intentionis simul intendi possunt; huiusmodi autè omnia considerari debent per modum vnius integri obiecti. Ratio est; quia vnius actus non possunt esse plura obiecta integra, sicut nec vnius motus plures termini, vt ipse ostendit in resp. ad secundum. Simili modo in resp. ad tertium ait, plura non possè intelligi, nisi quatenus aliquo modo accipiuntur vt vnum.

Plura bona diuersi generis possunt in vna intentione simul intendi, vt partes vnius integri boni.

Notandum Secundò, Etiam bona diuersi generis possè considerari tamquam partes vnius integri boni, ac proinde possè simul vnica intentione appeti; vt patet cum quis appetit beatitudinè, quæ est omnium bonorum animi & corporis delectabilium & honestorum aggregatio. Ratio est, quia omnia quæ per se bona sunt, siue delectabilia, siue honesta, conueniunt in communi ratione boni, seu consentanei subiecto. Vnde sub hac ratione omnia possunt simul appeti per modum vnius integri boni.

Vnus assensus potest immediate fieri ob multas rationes quasi partiales.

Simili modo plures rationes, quibus aliqua veritas confirmatur, possunt accipi in modum vnius integræ probationis, ob quam possis illi veritati assentiri: quod potissimum locum habet, quando rationes illæ sunt solum probabiles, & vna sola non perfectè conuincit intellectum. Sic potest quis ob notas fidei simul consideratas, assentiri veritatibus fidei.

DVBIVM I.

Vtrum nullo modo possint plura simul intendi tamquam integri fines?

Respondeo posse; vt rectè hîc Caietanus. Patet exemplis; quia fieri potest, vt quis in duccenda vxore intendat diuitias, tamquam finem sufficientem; & intendat oblectationem, tamquæ alium finem etiã per se sufficientem; & commoda domestica, & prolem similiter. Potest enim hos fines ita intendere, vt ob singulos seorsim & in solidum velit nuptias; etiamsi ceteri abessent. Simili modo potest Canonicus velle adire templum, & ob distributiones, tamquam sufficientem causam; & vt colat Deum, tamquam ob alium finem & causam sufficientem.

6 Affirmatur

Aduerte tamen hîc interuenire duos distinctos actus intentionis; quia sunt diuersi fines integri, ac proinde diuersa obiecta.

Sunt hæc duo distincti actus intentionis.

Ratio autè, cur possit quis hoc pacto simul plura intendere, est, quia voluntas non minus potest se ad multa extendere, quam intellectus: atqui intellectus potest ad plura attendere, quæ nullam inter se, aut cum aliquo tertio coniunctionem habeant, quamuis non tam perfectè quam ad vnum solum: ergo similiter voluntas potest plura velle tamquam plura.

DVBIVM II.

Vtrum ex duabus intentionibus duorum finium integrorum possit sequi vnum numero opus.

Respondeo & Dico primò, Non posse ex vi duarum intentionum sequi vnum numero actum electionis; sed necessariò tot debent esse electiones, quot sunt intentiones: vt si eligas ieiunium quia sanum, & quia vitæ eternæ meritum, vtrumque finem in solidum spectans, ieiunium duabus electionibus acceptatur.

7

Probatur, quia electio accipit suam speciem ex ordine ad finem intentum: ergo si fines intenti sint diuersi, diuersæ quoque erunt electiones; sicut si formæ sint diuersæ, species quoque, quarum sunt formæ, diuersæ erunt.

Tot sunt electiones, quot intentiones.

Dicò Secundò, Ex vi duarum intentionum potest sequi vnum numero opus externum æqualiter ex vtraque pendens. Ita Almainus tract. 1. c. 12. Vt si ieiunet ob vtrumque finem supradictum seorsim spectatum.

Vnum opus potest sequi ex duabus intentionibus.

Est contra quosdam, qui putant fieri non posse, vt idem numero opus externum procedat æquè ex duplici intentione; sed necessariò ex altera dumtaxat procedere; alterà se tantummodò per modum complacentiæ circa opus habente. Quod probari potest, quia sicut vna res non potest habere duplicem materiam integram vel duplicem formam, vel duplicem causam efficientem; ita etiam non potest habere duos integros fines non subordinatos.

Oblectio à duplici materia & forma, & efficiencia.

Sed probatur nostra sententia, primò experientiã. Sicut enim experimur nos aliquid velle ob duos fines in solidum; ita etiam experimur nos facere intuitu vtriusque: nam ita facimus, vt etiamsi alter finis impediretur, nihilominus ex vi alterius intentionis peristeremus in opere. Quod signum est nos vtrâque intentione ad operandum impulsos fuisse.

G iij Secundo



Secundò, Si opus ex vi vnus duntaxat intentionis sequeretur, id fieret, quia vnus finis magis intenderetur quam alter ( nulla enim alia ratio assignari potest : ) atqui fieri potest, vt vterque finis æqualiter intendatur, & neuter alteri præferatur: ergo tunc opus sequetur ex vi vtriusque æqualiter. Consequentia patet, quia nulla ratio dari potest, cur potius dicamus sequi ex intentione huius finis quam illius, cum vterque æquè primò & æquè efficaciter intendatur.

8  
Soluatur  
obicitio.

Ad argumentum in contrarium; Respondeo, Esse disparem rationem. Materia enim & forma sunt causæ, quæ rem intrinsecè constituunt. Vnde implicat vnus rei esse duas materias, vel duas formas totales; quia vnum numero, esset duo numero.

Eadem res  
duas causas  
totales  
efficientes  
habere po-  
test.

Quod ad causam efficientem attinet, cum sit extrinseca, non implicat vt eadem res duas causas efficientes totales habeat. v. g. vt idem lumen à duabus candelis tamquàm causis integris pendeat. Imò probabile est, reipsà id fieri, quamuis successiue. Pari modo in effectibus Sacramento- rum posse eos à duabus causis efficientibus integris pendere, est valdè probabile, etsi efficientiam physicam in illis ponamus. Quòd si idem effectus pendere potest à duplici causà efficiente; multò magis à duplici causà finali pendere poterit; præsertim cum hæc sit remota, mere- que extrinseca; ad quam opus nullum ordinem naturalem habet, sed solum arbitrio voluntatis. Quòd si idem effectus ex duplici fine pendere potest, potest etiam ex duplici intentione pendere: nihil enim à causa finali pendere potest, nisi mediante intentione, quæ causà finalis immediatus est effectus.

Nec obstat, quòd intentio se ad opus externum habeat in modum causæ efficientis: nam ita efficit, vt nullum realem influxum in opus vel in potentiam exequentem habeat; sed tantum dicitur efficere, quia posità intentione in voluntate, aliæ potentie per quamdam sympathiam naturaliter ad operandum applicantur.

ARTICVLVS IV.

*Utrum voluntas finis sit idem actus cum voluntate eius, quod est ad finem?*

9 C Onclusio Prima, Quando voluntas fertur in finem, & in medium seorsim spectatum, fertur diuerso motu. Ratio est; quia tunc medium non habet rationem medij, sed distincti fi-

nis; vt cum quis vult sanitatem propter seipsam, & ambulationem propter seipsam.

Conclusio Secunda, Quando voluntas fertur in medium propter finem, vt cum vult ambulationem propter sanitatem, tunc eodem actu fertur in medium & in finem, sed diuerso modo: in medium, tamquam in obiectum quod, in finem, tamquam in obiectum quo, id est, in rationem obiectiuam.

Idem actus  
voluntatis  
tendit in  
finem &  
in media.

Aduerte tamen, hinc non sequi, eundem numero motum voluntatis esse intentionem & electionem, vt quidam hinc collegerunt. Electio enim & intentio sunt motus realiter distincti; quamuis electio ex intentione necessariò pendeat; sicut assensus conclusionis ex assensu principiorum. Et ratio est quam insinuauimus supra q. 8. a. 3. obiectum enim electionis materiale quidem, est res quæ dicitur medium; formale proximum, bonitas utilis ad finem, remotum, ipse finis. Cum enim bonitas utilis speciem habeat ex ordine ad finem, ad quem utilis est; etiam electio, quæ à bonitate vtili speciem accipit, à fine speciem habebit. Obiectum autem intentionis proximum, materiale quidem, est res illa quæ intenditur, vt scientia, salus: formale, bonitas eius intrinseca. Itaque differunt hi actus obiectis, ac proinde specie. Nec obstat quòd D. Thomas hic ad Tertijū insinuare videatur, intentionem & electionem esse vnum motum, sicut ascensus & descensus: tantum enim vult dicere, intentionem & electionem versari aliquo modo circa eadem, quamuis contrario modo ( sicut ascensus & descensus versantur in eodem spatio contrario modo. ) Intentio enim immediatè tendit in finem, & per finem in media. Electio immediatè in media, & per media in finem.

ARTICVLVS V.

*Utrum Intentio conueniat brutis?*

C Onclusio Prima, Si intentio accipiat generatim, vt idem sit quod in aliquid determinatum tendere: sic intentio conuenit brutis & rebus naturalibus: quia horum omnium motus tendunt ad aliquid certi & definiti à Deo. 10  
Distinguitur.

Conclusio Secunda, Si intentio accipiat proprie, non conuenit brutis: quia intentio est velle consequi finem per aliqua media idonea; atqui bruta non cognoscunt rationem finis, neque proportionem quam media habent ad finem; ergo, &c. Vide supra q. 1. a. 2.

QVÆSTIO XIII.

De Electione.

1 E xplicatis tribus actibus voluntatis, qui versantur circa finem, scilicet voluntate seu amore, fruitione, & intentione: incipit agere de actibus qui versantur circa media; inter quos tres potissimum pertinent ad voluntatem, electio, consensus, vsus.

Nomen autem Electionis dupliciter accipitur, Electio quia, Aristot. Ethic. c. 4. cum ait, opus virtutis debere fieri ex electione, id est, non casu, non necessitate, sed liberà voluntatis acceptatione. Et alibi, cum ait, virtutem esse